



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1612

4 De rebus, quae donari possunt, aut non possunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14014

lenta ac peculenta, quæ intra biduum aut triduum consumi possunt. *C. statum. c. insuper de reserip. in sexto. & Glossa ibidem.*

Præterea Clientes nihil donare queunt Aduocatis, lite pendente. *l. Quisquis, C. de postulando vbi Salicetus addit Aduocato fas esse à cliente aliquod exigui munus accipere.*

Vitium queritur, An is qui iuratus, & mutus simul est, donare queat, inter viuos? Donare potest, at causa mortis non potest, si à natura vitium sit: secus si vitium casu contingat. *l. Discretis, C. Qui testamentum facere possint. Et qui tantum est iuratus, vel tantum mutus donare non prohibetur. l. Qui id quod, §. Mutus, ff. de donat.*

De rebus, quæ donari possunt, aut non possunt.

CAPVT IV.

PRIMO queritur, An res corporis ex parte donari queant? Respondeo, donari posse omnes res, quæ in commercium humanum veniunt, aut quarum dominium ex viuo ad alterum transferri potest, vbi sint corporeæ, siue non corporeæ res, veluti, si donationis causa cum debitor meo pacifca, ne ante certum tempus ab eo petam. *l. In adu. ff. de donat. Potest etiam spes habendi rem reuocari, & donatione transferri. l. Spem futura. actionis. Et si quis argentum, C. de donat. Ratio huius est, quia potest donare & ad alium transferre actionem, quam habet. l. Si nominis.*

Item ius litigandi donari potest, dummodo ne potentiori donetur: qui enim donat, incidet in Edictum, *C. de alienatione mutandi iudicij causa.* Possunt idem donari res singulares, & quæ vniuersitatem habent. Præterea potest res vel ex toto, vel ex parte donari, & potest dominium rei ad alterum donatione transferri, vbi iuncta, vel vbi solo retento.

Secundo queritur, An res aliena donari queat? Respondeo cum Hostiensis *tit. Pro donato*: Rei alienæ donatio valet, quod attinet ad viciationem, hoc est, valet, ita vt non dominium confestim, sed viciandi ius & titulus transferatur: non valet autem, ita vt vero domino statim nocent. *l. 2. C. de donat.* Si querat, an donator, i. de Euctione obligetur? Respondeo, aut donatio incipit à traditione rei, aut à promissione de re donanda. Si quis promittat se rem donaturum, ea que sit aliena, cum fuerit eucta, iure cogitur alteram donare. *Glossa in l. Aristo, §. vltimo, ff. de donat.* Si vero donat, & simul ita dicit rem, lege de Euctione non tenetur, nisi ex pacto sese obligauerit, hoc est, sciens rem alienam dedere: tunc contra donatorem, potest agi actione de dolo. Vnde in *dist. l. Aristo, §. vlt. ff. de donat. in legimus*: Labeo ait: (si quis mihi rem alienam donauerit, in que eam sumptus magnos fecerim, si ea mihi euincatur, nullam mihi actionem contra donatorem competere: plane de dolo posse me aduersus eum habere actionem, si dolo fecit,) sic ibi: secundum conscientiam autem possum in penam tenere.

Tertio queritur, An qui præsit Ecclesiæ, possit res Ecclesiæ donare? Non potest. *c. sine exceptione 12. q. 2. & cap. 1. de donat.* nisi donet benemeritis de Ecclesiâ. c. Si quos, in eadem causa, & questione, quia tunc non proprie donat, sed potius repedit gratiam bene merito, *l. Aquilinus Re-gulius, ff. de donat. & l. Sed si lege, §. consulur, ff. de test. hereditatis.* Nihilominus tamè si bona Ecclesiæ in obita sint, ex quibus donatio remuneratori fieri queat, non est aliquid ex rebus immobilibus donandum, vt docent scriptores in *l. Iulianus, C. de Sacrosanct. Eccles. cap. vlt. de peculio clerico. & Iason. conf. 116. volum. 4. & merito debent aquariæ rem donatam, exalatum 2. de Testam.*

Quarto queritur, An Patronus Ecclesiæ ius nominan-

di & offerendi clericum, quod passim dicitur ius presentandi, possit alteri donare, siue ad alterum donationem transferre? Respondeo, si donet absque Episcopi consensu, irritam esse donationem, valere tamen, si Episcopi voluntate facta sit. *Decius conf. 41. vbi tradit, communem esse sententiam Rochus in tract. de iure Patrona. in verbo. (Pro eo) q. 2. n. 3. Lambertus de iure patrona. lib. 6. par. 2. q. 6. principali art. 2. Et hoc locum habet in eo, qui tale ius laico donauerit. Nam ius patronatus potest laicus Ecclesiæ, vel Monasterio, vel Religiosorum conueniri liberaliter donare etiam extra Episcopi consensum. cap. 1. de iure Patrona. in sexto. & c. illud, de iure patrona Ioan. Andreas, Abbas & alii in c. illud, eod. tit. & cap. eod. tit. in sexto: dummodo tamen donatio fiat, beneficio vacante, cap. vlt. de concess. preben. & cap. illud, de iure patron. & ibid. Panormitanus n. 6. Nam sicut is, qui habet ius conferendi beneficium, concedere nequit beneficium vacaturum, sic nemo potest alteri dare potestatem conferendi, vel nominandi, & offerendi clericum ad beneficium, antequam vacet, c. constitutus de concess. preben. alioqui enim daretur occasio optanda, & captanda mortis.*

Quinto queritur, An hæreditas viuentis donari queat? Non potest. *l. Quidam, §. vlt. ff. de donat.* cuius legis verba sunt: (Donationem quidem patris bonorum proximè collateralæ viuentis nullam fuisse constabat: verum ei qui donauit, ac postea iure patris successit: quoniam aduersus bonos mores, & gentium felicitatem, actiones hæreditarias in totum denegandas respondit.) Sic ibi. Vnde qui hæreditatem viuentis donat, ea hæreditate indignus est.

Sexto queritur, An quis possit donare rem obligatam alteri tanquam domino, cuiusmodi est res censui supposita, vel in feudum, vel in emphyteusim accepta? Respondeo non posse sine consensu expresse, vel tacite eius, cui est res obligata, nisi certis in causis, de quibus alibi.

Quot, & qua ad substantiam donationis spectent.

CAPVT V.

PRIMO queritur, An donatio ad suam substantiam postulet consentam eius cui fit? potest Donationis substantia requiritur vti usque, consensum, tum eius, qui donatur, tum eius, qui accipit: quia necesse est, vt quis donationem sibi factam, ratam, & acceptam habeat. Vnde sit, vt donatio sit irrita & inanis, quæ sit ignorant, aut ei qui consensum prestare non potest, veluti ament, furioso, infanti, vt colligitur ex *l. Absenti, ff. de donat.*

Secundo queritur, quid sit dicendum, si donatio fiat alicui, qui præsens est, & tacet, is ne pro consensu habendus erit, ita vt donatio valeat? *Decius in rubrica C. de pa. illis sentit donationem irritam esse. Idem asserit Tiraquel. in l. si vnguam, C. de Reuocatis donat. in verbo libertis, nu. 54.* Respondeo, donationem subsistere, quia eo ipso consentire videtur, iuxta id, quod habetur in *l. qui partitur, ff. Mandati.* Vnde constat, donationem posse fieri præsentis, & tacenti, & qui tacet, consentit in us, quæ ad eius utilitatem spectant, & rata est talis donatio, quia nunc fieri potest nudo pacto iuxta. *l. Si quis argentum, C. de donat. & communem esse sententiam, testantur Cagnolus in l. Semper, qui non prohibet nu. 3. ff. de regul. iur. Coarct. in rubri. de testam. par. 3. n. 13. lib. 4. Selecta sentent. ibi. Vtrum si donantis, & Iulius Cuius q. 14.*

Tertio queritur, An si quis donet absenti, cuius nomine tabellio, siue, vt dicitur, notarius, stipulatur, & acceptam habet donationem, valeat donatio? Ratio dubitandi est, quia vnus pro altero stipulatur iure communi non potest? Respondeo, ratam & firmam esse donationem,

quia